

ita fovere posse, ne vis illa, quæ aliàs aërea planè est, expiret. Quot enim monstra habitura esset genus humanum, semine beluino translato, mulierisq; sinui ab incubò Damone infuso? Sanè tale facinus non omitteretur propter insignem *Ἰνχουγενανίαν*, & insidias illorum momentaneas. Et licet hoc alterum istius disjuncti membrum concederemus, quod tamen neutiquam facimus, tamen adhuc collectio esset infirma: Dæmones sperma alibi suffuratum ingerere possunt mulieris sinui & receptaculis genitalibus; E. possunt gignere. Nam quia semen illud non esset Dæmonum; etiam generatio illis competere non posset. Quod equidem benè perspexit P. Grillandus Volum. 10. tract. de sortileg. q. 7. n. 13. ideoq; dixit; talem sobolem non esse dicendam filium Dæmonis, sed ejus cujus fuit sperma.

Astruclâ igitur nostrâ sententiâ, objectorum quædam nobis hîc occurrentium, videbimus. Torquetur autem hûc à contraria sententiâ Patronis textus ex Genes. cap. 6. vers. 2. quod filii Dei sibi ex filiis hominum uxores acceperint atq; viros potentes & fortes procrearint; quæ cum quibusdam Judæorum Rabinis de incubis & succubis interpretantur. Quamvis autem hic locus maximè controversus fuerit in primitivâ Ecclesiâ, & assensum Rabinis præbuerint Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromat. p. 145. C. Lactant. lib. 2. c. 15. p. 59. Eusebius l. 5. de præpar. Evangelicâ p. 203. & alii: tamen ipsa textus *ουδαϊστικῶς* aliud innuit; intelligi nempe pro filiis Dei cives veræ Ecclesiæ ex posteritate Seth & Enos prognatos, qui primùm erga Deum religiosissimi fuerunt, quemadmodum tales appellantur filii Dei Rom. 8. vers. 14. cap. 9. vers. 8. vel totam *ουνοχδοχιῶς* Patriarcharum Ecclesiam, quæ ita promiscuè etiam hoc nomine insignitur Osee c. 1. vers. 10. Rom. 9. vers. 26. & alibi: Deindè verò rerum mundanarum facie speciosâ, quâ fulgebant Cainitæ pellectos, paulatim cum illis familiaritatem & commercia exercuisse & tandem etiam familias in contrahendis matrimoniis confudisse, ut optimè interpretantur Athanasius quest.